

In nomine domini nostri Iesu Christi. Hoc est sacramentum fidelitatis, quod iuraverunt consules Terdonenses Ido et Ubertus et Busco civis Terdonensis¹ domino Friderico imperatori et filio eius regi Henrico et domine Beatrici Romanorum imperatrici auguste.

Ego iuro ad sancta dei evangelia, quod ab hac die in antea semper ero fidelis domino Friderico imperatori et domino Henrico regi Romanorum et domine Beatrici imperatrici auguste contra omnem hominem. Nec ero in consilio nec in facto, quod perdant vitam vel membra vel honorem. Et bona fide et sine fraude iuvabo eos tenere regnum Italie et honorem corone, et nominatim civitatem Terdone et episcopatum et comitatum, et dare eis civitatem ad offensionem et defensionem. Et si perdidierint regnum Italie vel civitatem et episcopatum et comitatum Terdone, bona fide et sine fraude iuvabo eos recuperare et recuperata tenere. Et credentias, quas ipsi per se vel per suos certos nuntios mihi insinuaverint vel per litteras, secretas tenebo; nec pandam ad detrimentum personarum vel honoris eorum. Et pacem faciam omnibus amicis eorum et servabo; et guerram vivam faciam omnibus inimicis eorum; nec guerram recrudutam faciam hostibus eorum et imperii secundum mandatum domini imperatoris vel domini regis vel domine imperatricis vel legati, quem ipsi ad hoc factum destina-verint. Et nos operam dabimus bona fide et sine fraude, quod omnes homines civitatis Terdone fidelitatem in hac eadem forma iurent domino imperatori Friderico et suo filio regi Henrico et domine Beatrici auguste imperatrici.²

¹) Vgl. hierzu oben S. 334 N. 2 und S. 350 N. 3. ²) Über den Zusatz einer Datierungszeile bei DA MILANO, MURATORI, BOTTAZZI und SALICE s. oben S. 313 f.